



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus XI. De Infantibus & Languidis expositis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

de L. Pomp. cit. & l. fin. ff. Si à parent. quis manumiss. Jus illud meritò sublatum, & quævis atrox animadversio denegata patri est, l. si filius 3. C. de Patria potest. & l. Unic. C. de Emendat. propinq. ut tandem ob illatam filio necem puniri etiam ipse caperet pœnâ homicidii Ordinariâ usque ad tempora Constantini M. qui in eum extraordinariam culei constituit; ut parricidii crimen ex l. Pompeia protraheretur ad ascendentes, qui liberorum ac nepotum suorum fata properarent, l. Unica C. de His, qui parent. vel lib. occidet §. Alia 6. Instit. de Publ. judic.

Eâdem pœnâ, ante patrem avumque paternum, tenebantur filii, & avus maternus nepotis sui interfector, l. 1. V. Sed & ff. de L. Pomp. cit. quòd eis vitæ ac necis jus & patriæ similis potestas in liberos nunquam fuerit concessa, l. Mulierem 6. C. §. Femina 10. Instit. de Adopt. & §. Qui igitur 3. Instit. de Patria potest. Tholol. Lib. 11. Syntag. cap. 5. n. 2. Hunnius Encyclop. p. 1. tit. 10. cap. 3. n. 4. & Gonzalez in c. fin. à n. 5.

7. Jure Canonico modernò in parentes liberorum suorum interfectores duo sunt constituta: & primò quidem filii sui interfectorix, si vidua, ut ad aliquod Monasterium poenitentiaæ agenda cavas transeat, induci: & si de ejus incontinentia non timeatur, à secundis nuptiis arceri

jubetur ab Alexandro III. c. 1. Si verò conjugata adhuc sit, à marito non separanda, providendum tamen est; ut tanti sceleris pœnam luat, c. Intelleximus 2. Hodie hujusmodi homicidæ, tam parentes quàm liberi, vix unquam puniuntur à judicibus Ecclesiasticis, sed à curia Seculari apprehendi & antè relatis a-liisve pœnis pro varietate, tam circumstantiarum delicti, quàm personarum ac provinciarum, plecti solent, Farinac. cit. q. 120. n. 21. & Pirthing ad hanc Rubr. n. 5.

Dein parentes, apud quos infantes adhuc tenelli in suo lecto collocati, Contra can. Consulisti 2. q. 5. reperti sunt mortui, olim ex decreto Lucii III. c. fin. relatò, in Poenitentia tres annos, & horum unum in pane & aqua transigere debebant; quòd extra culpam non esse præsumerentur; quantumvis enim illorum oppressionem & suffocationem nec intenderint, nec præviderint, eos tamen ad communem lectum recipiendò ejusmodi periculo exposuerunt, Vallenf. ad hanc Rubr. n. 2. Hodie in quibusdam Germaniæ diocesisibus infantis in materno lecto collocati oppressio suffocatione inter casus Episcopo reservatos recensetur. In aliis verò pro arbitrio discreti judicis, & ferè mitius punitur, teste Engel n. 4.



## TITVLVS XI.

### De Infantibus & Languidis expositis.

#### SUMMARIUM.

1. Horum expositio fere crimen grave:
2. Et olim hodièque aliquando capitali.
3. Plerumque tamen mitiori spæna obnoxium est.
4. Expo-

4. Expositus eximitur à potestate Patria & Dominica :
5. Nec recidit in potestatem suscipientia :
6. Qui tamen expensas in eum factas repetere ,
7. Et eum alendum remittere potest ad parentum domicilium :
8. Quò carens serè alendus est in loco expositionis .
9. Expositus aliqui illegitimos :
10. Melius alii legitimos ,
11. Et capaces censentur Ordinum ac beneficiorum :
12. Nisi ista exigant qualitatem specialem .

**H**omicidio simplici peior, & Parricidio propinqua inhumanitas est, quàm infantes, hoc est, liberi septenniò minores, l. Si infanti 18. §. 4. C. de jure delib. & languidi, sive infirmi cujuscunque ætatis, quibus educatio, alimenta aut cura debetur, contra pietatis officium expositi deseruntur, can. fin. dist. 87. l. Necare 4. ff. de Agnosc. lib. 5. l. fin. C. hâc. Rubric. Qua in re Certi & explorati Juris est, expositionem infantum, uti & languidorum, cum sustentari & educari ab ipsis parentibus & dominis possunt, graviter esse peccaminosam; quia ejusmodi expositos, quantum in ipsis est, occidere videntur, can. Pasce 21. dist. 86. §. l. fin. cit. Unde in quibusdam diocesisibus proprii partis expositio casibus Episcopo reservatis accensetur, teste Barb. de Offic. & potest. Episc. alleg. 51. n. 143. Dixi, Cum sustentari ab ipsis per se vel alios possunt; qui enim ob inopiam aliâque justam causam id non posset, eos pio, aut alteri loco, in quo commodè sustentari possunt, exponens à culpa & pœna esset immunis, est. Bar-

bosa n. 147. & Gonzalez in c. Unic. n. 9. in fine.

Propter eam expositionis inhumanitatem non delunt DD. qui ejusmodi parentem, sicut Thebanis, teste Eliano Var. Hist. Lib. 2. cap. 7. sic & Romanis legibus capitis pœnâ teneri velint cum Glossâ in l. fin. C. de Patrib. qui fil. dist. 1. quod can. fin. cit. non obscure insinuatur: quorum Opinioni etsi locus sit, quando infans in sylva aliòve loco solitario abjectus aut destitutus fame, frigore aut ferarum laniatu perit, ut colligitur ex l. Necare cit. & Constitut. Criminal. Caroli V. art. 132. & cum Bartolo in l. cit. Bossio Tit. de Homicidio n. 7. & aliis tradit Bruneman. in l. Necare cit. n. 2. Casu tamen, quò infantis interitus non sequitur, aut in via locòve non infrequenti prætereuntium misericordiæ aut brephotrophio vel hospitali exponitur, fustigatione aut alia simili pœna, licet præter intentionem & opinionem moriatur, satis plecti existimat Carpovius Practic. Criminal. p. 1. q. 10. n. 11. Si autem vivus reperitur, relegationem aut aliam mitiorem pœnam arbitrio judicis sufficere, censet Welsenbec. in ff. ad L. Cornel. de Sicar. n. 14. & Menoch. de Arbitr. casu 396. n. 5. & non obscure desumitur ex cit. Constitut. Caroli V. art. 132.

Præterea pater filium, & dominus servum languidum exponentes, aut in ejus expositionem consentientes, eamve ratam habentes, potestate patriâ (quatenus filio exposito onerosa: non quatenus ea huic favorabilis est, quoad dotem, alimenta, successione &c. Barbosa alleg. cit. n. 146.) & dominicâ privantur; ut eos repetere non possint, sed filius quidem sui juris efficiatur: servus autem libertatem & libertus ingenuitatem consequatur, c. Unico, l. Sancimus 3. §. l. fin.

1. *fm. C. hęc Rubric.* Ratio est; quia à se expositos habere censentur pro derelictis, *l. fm. ff. Pro derelicto*; ac proinde patrię ac dominicę potestatis jus remissile: remittentibus autem ađiones suas ad eas dandus non est regressus, *l. Quæritur 14. §. 9. ff. de Edictis. editto, Barbosa in c. Unic. cit. n. 3. & Gonzalez n. 4. & 8.*

5. Non tamen idcirco is, qui infantem & languidum expositum suscipit aut sustentat, in ejus personam juris aliquid acquirit *c. Unic. l. Sancimus cit. & l. Neminis 24. C. de Episcopali aud.* Quod Imperator benigniorem viam secutus statuit, partim; quod sustentatio & educatio nullo Jure habeatur pro Adoptione: partim verò; ne infans, qui non peccavit, contra Juris præcepta alienã impietate fortè amittat libertatem, quę maximè favorabilis est, *§. 1. Instit. de Jure Person.* & plectatur maculã servitutis, Tholosan. *Lib. 11. Syntag. cap. 13. n. 3. & Gonzalez in c. cit. n. 8.*

6. Expensas tamen in alimenta & educationem factas repetere non prohibetur ab iis, qui hæc eis præstare tenebantur; nisi ex officio aut liberalitate, vel pietatis & misericordię causã essent factę: quod præsumitur, si ab Ecclesia vel Hospitali, aut ab alio loco publico, ad similem finem fundato, vel ab Episcopo aliõve divite & liberali viro educentur, *arg. can. Sacrorum, 12. q. 2.* Unde tali casu repetitioni locum non esse, ex communi DD. sensu tradit Azor *p. 2. Instit. lib. 2. cap. 26. q. 1.*

Dubium pro praxi duplex occurrit. Primum de expositorum alimentis. Quæ ipsis à brephotrophiis, hospitalibus, aliisve locis piis, ad hujusmodi pietatis officia erectis vel, his deficientibus, ab Ecclesia vel, si ista quoque sufficientes redditus non habeat, à communitate loci,

in quo inventi & baptizati sunt, præstanda, cum Panormit. *in c. Unic. cit. n. 3. & Surdo de Aliment. Tit. 1. q. 81. tradit Barbosa in c. cit. n. 4.*

Casu, quò proles in uno exposita, in alio loco nata & baptizata est, an ab Hospitali, Ecclesia, vel communitate loci expositionis, vel nativitatis aut Baptismi sit alenda, dubitandi ratio est; quòd ex una, origo & nativitas civem quemque faciant, commodorum & incommodorum, munerum & onerum capacem, *l. 1. l. Qui ex vico 30. ff. ad Municipal. & l. Civis 7. C. de Incolis: &* quò baptizatus est locò, jura civitatis aliquem consequi, statuerit Concilium Basileense *Sess. 19.* cum, quòd tribuit nativitas carnalis, magis tribuere debeat spiritalis; sic enim Judæos, Paganos jura civitatis in loco Baptismi consequi, docent Hieron. Gonzalez *ad Reg. 8. gloss. 9. §. 1. n. 105. & Rebuff. de Pacif. possess. n. 117. in fine:* ex altera verò parte, expositus consequatur libertatem Romanam, *l. Sancimus & c. Unic. cit.* ac proinde jura Civilia loci, in quo expositus fuit.

Propter has rationes dubitatio resolvenda est auxiliò distinctionis. Et quidem, si locus, in quo prolem esse natam & baptizatam constat, sit originarius & domiciliaris, in quo parentes stabilem sedem habuerunt, prolem alibi expositam & baptizatam ad hunc remitti posse, ex *ll. cit.* desumi existimat Zypæus *Consult. Canon. ad banc Rubr. n. 7.* Si autem locus non sit originarius & domiciliaris, sed proles ex matre vagabunda, illac transeunte, nata ibique baptizata sit, verius ad hunc non remittenda, sed in loco expositionis alenda est; quia vagus commodis & incommodis loci non afficitur, nisi quando in eo actu est. Unde, cum post carnalem & spirituales nativitates in alium transferatur, quasi

Q

tur, quasi

tur, quasi possessionem juris percipiendi illius commoda amittit, eamque acquirat in loco, ad quem vagandò est perlata; cum enim talis locus ob dictam possessionem percipiat commoda, si quæ ab isto proveniunt, v.g. ei mortuo succedendò, conveniens est; ut subeat onus alendi.

Neque obstant *ll. & Sess. cit.* quia illæ exaudiendæ sunt de nativitate originaria: hæc autem de Neophytis, v.g. Judæis, Turcis, aliisque Paganis, extra suam patriam alicubi baptizatis, ut idem Zypæus *n. 5. & 6.* observat.

9. Alterum dubium est de statu expositorum & aliorum, quorum parentes ignorantur; eos enim pro illegitimis habent Covarruvias in *Clement. Si furiosus*, p. 1. pr. n. 9. Garcias p. 7. de *Benef. cap. 2. à n. 9.* Suarez de *Censur. disp. 50. f. & n. 4.* Vasquez 1. 2. *disp. 66. cap. 8. n. 48.* & alii, quibus hunc de expositorum statu sensum gemina ratio persuasit. Una est; quòd in dubio præsumptio faciendâ sit ex his, quæ frequentius contingunt; cum id, quòd frequentius est, quàm non est, verisimilius sit: præsumptio autem verisimilior eâ, quæ minus verisimilis est, potentior sit, Jafon in *l. Si extraneus 6. ff. de Condit. causa data*; atque idcirco testibus, verisimiliora deponentibus, major fides habeatur, *c. In nostra 32. & l. Ob carmen 21. §. fin. ff. de Testibus*, Menoch. *Retinenda remed. 3. n. 721.* & Farinac. *Prax. Criminal. q. 65. n. 128.* expositi autem frequentius illegitimi sint; cum ferè omnes & ut Garcias existimat, ex centum expositis plures quàm nonaginta ex illicito coitu procreati sint. Altera est; quòd nuptiæ consistant in facto: in dubio autem factum; ac proinde nuptiæ, prolemque ex his procreatam, non præsumendum, sed probandum sit ab eo,

qui prolem ex justis nuptiis asserit procreatam. Accedit; quòd expositi demonstrare nequeant certum patrem; quòd, qui nequeunt, spurii dicuntur, *l. Vulgò concepti 23. ff. de Statu homin.*

At, sicut benignior, sic æquior & Juris principis magis consentanea est sententia Palæoti de *Noth. & Spur. cap. 63. n. 3. & 7.* Menochii de *Præsumpt. Lib. 6. q. 54. n. 20.* Gratiani *Discept. forens. cap. 35. à n. 31.* Pontii *Lib. 11. de Maritim. cap. 6. n. 4.* & aliorum præsertim ICT.orum, quibuscum Palæo *Tract. 13. disp. 4. p. & §. 1. n. 9.* Barbosa ad *banc Rubr. n. 3.* & Gonzalez in *c. Unio. cit. n. 8.* expositos, sicut eximunt à patria & dominica potestate, ita legitimis accensent, partim; quòd non rarò legitime nati sint, ut patet in Mòyse, Cyro, Paride & aliis: neque ob solum pudorem ac metum infamiæ, sed ob egestatem quoque, vel instantis periculi, aliàmve necessitatem exponantur. Unde, cum in dubio præsumptio & interpretatio faciendâ sit in favorem prolis, *arg. c. Ex renore 14. Qui filii sint legit. & l. Nuper 11. C. de Natural. liber.* expositos legitimis merito accensemus: partim verò; quòd in dubio præferenda sit præsumptio, quæ excludit peccatum; delicta enim in dubio non præsumuntur, *arg. c. Effote 2. de R. I. & l. Merid 51. ff. Pro socio*: quòd tamen fieret, si expositi illegitimi esse præsumerentur. Confirmatur ex *c. Lator 5. & c. Pervenit. 11. Qui filii sint legit.* ubi adversario injungitur onus probationis, non obscurò argumentò; quòd in dubio de origine standum sit pro legitimitate, *arg. l. Semper 56. ff. de R. I.* quòd Puteus *Lib. 3. decis. 2. pro Regula tradit.* Unde

Corruit in contrarium allatum argumentum utrumque; quia præsumptio, quæ oritur ex majori frequentia, & similes

miles cedunt aliis fortioribus, ut sunt, quæ peccatum excludunt, aut favent proli, Menochius *de Arbitr. casu* 396. n. 15.

11. Unde expositæ proles potius, ut de Jure debuerunt, ex nuptiis, quàm ex fornicatione natæ præsumuntur; ac proinde Ordinum & beneficiorum capaces sunt sine dispensatione.

12. Neque tamen hinc sequitur, eos etiam capaces esse canonicatum, aliarumque dignitatum & officiorum, ex

fundatione vel statuto exigentiù nobilitatem, cum; quia, licet præsumantur qualitates, quæ communiter insunt, aut sunt necessariæ ad excludendum delictum: non tamen præsumuntur aliæ speciales &, quæ communiter non insunt: tum verò; quia, quando certa aliqua qualitas à fundatore vel statuto requiritur, probanda est, neque sufficit, quòd ipsius præsumptio adsit, Barbosa & Gonzalez *l. cit.*



## TITVLVS XII.

### De Homicidio Casuali & Voluntario.

**C**ontra aliorum DD. & Scholarum, specificam rerum considerationem ferè subjiciendum genericæ; at non contra suum morem, neque inconsultò Gregorius Papa à Parricidio & infantum Expositione propter istorum atrocitatem ad Homicidium eique affinem Mutilationem progreditur; ac proinde speciei genus subiicit, & ex parte miscet Rubrica præsentis.

#### ARTICVLVS I.

### De Natura & Varietate Homicidij & Mutilationis.

#### SUMMARIUM.

1. Homicidij etymon & definitio.
2. Divisio in Voluntarium & Casuale.
3. Iustum & Injustum.
4. In Necessarium, Dolosum, Culpo-

sum & Casuale.

5. Dolosum vel Simplex est, vel Deliberatum:

6. Quod quatuor sepe modis committi solet,

7. Definitio Mutilationis,

8. Et Membri corporis.

**H**omicidium, ab *Homine occidendo*, sive ejus cæde sic dictum, *can. Si homicidium*, 23. q. 5. & *l. Ita vulneratus* 51. pr. ff. ad *L. Aquil.* est Violenta exanimatio hominis ab homine facta, Harprecht *in §. Item lex Cornelia* 5. *Instit. de Publ. judic.* n. 6. Farinac. *Prax. Criminal.* q. 1. 9. n. 3. *in fine*, & Pirrhing *ad hanc Rubric.* n. 1. *Ab homine*, inquam; quia, si homo à fera vel bruto occidatur, propriè non Homicidium, sed Pauperies vocatur, *Rubr. & text. Instit. & ff. Si quadrup. paup. sec. & Hominis*, sive humani corporis, intellige, cujuscunque ætatis

Q 2

tatis